

Christian Schlee   Paullus Havemeisterus

## **Theoremata Theologica De Bonis Operibus ...**


Rostochii: Reusner, 1605

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756817633>**

Druck   Freier  Zugang



Schlee  
Chr. Hedanus.  
R. U. theol. 1605.



THEOREMATA  
THEOLOGICA  
DE BONIS  
OPERIBVS,

Favente Divini Numinis Gratiâ,  
*Reverendi Collegij Theologici autoritate,*  
In Academia ROSTOCHIENSI,

SUB PRÆSIDIO  
M. CHRISTIANI SLEDANI  
ROSTOCHIENSIS,

*Ad disputandum proposita*

PAVLO HAVEMEISTERO  
Fricenvald. Pom.



ROSTOCHII  
*Apud Christoph. Reusnerum. 1605.*

VIRIS

*Dignitate amplissimâ claro, eruditione consultissimâ exi-  
mio, & virtute excellentissimâ Splendido,*

DN. BARTHOLDO KICHLERO, I. V. D.  
illustrissimi principis, CAROLI Megapolens. Du-  
cis & c. à consiliis fidelissimo;

*Reverendo, doctrinâ præstantissimo, ac humanitate conspicuo,*

DN. M. DETHERO MAVRITII, Ecclesiæ  
Chiloniensis parochi, & vicinarum diocæ-  
sium inspectori vigilantissimo:

DN. M. PAVLLO SPERLINGIO, Scholæ  
Hamburgensis Rectori sedulissimo &  
clarissimo.

DN. M. FRIDERICO TROIANO P. L.  
Cæs. Scholæ Stargard. in Pomer. Conrectori,  
dignissimo & celeberrimo.

J V X T A A C

*Prudentiâ, multoq; rerum usu instructissimo*

DN. BERNHARDO SANDTMANNO,  
civi Hamburgensis primario;

*Dominiis fautoribus, promotoribus, & patronis meis  
omnis generis honoris dignissimis, in gratam be-  
neficiorum acceptorum recordationem;*

Theologicum hoc, de Bonis Operi-  
bus, exercitium, debite gratitu-  
dinis ergò do, dico, confecto,

PAVLLVS HAVEMEISTERVS.





## CONTINUATIO.

**V** *T* in superioribus ceteris quibusdam religionis Christianae articulis maximè seculo nostro controversis ipsarum rerum ac naturæ ordinem persequi nobis adhuc fuit cura: sic eundem quoq; nobis deinceps cum Deo persecuturis, cum proximè de justificatione disputatum fuerit, placeat ad Bona Opera, à causis scilicet ad effecta, seu ab antecedente ad necessarium consequens progredi. Nec enim minus eleganter quàm piè D. Augustinus libro de Fide & Bonis operibus c. 14, Bona, inquit, opera sequuntur jam justificatum, non precedunt justificandum, Estque insuper eorum, quos Deus justificat, gemina conditio. Alia in Relatione, alia in Qualitate consideratur. In Relatione si justitia Christiana consideratur, haud est alia quàm merè gratuita peccatorum remissio, & justitia Christi imputatio: In Qualitate, consequitur justificationem vita novæ inchoatio. Hunc igitur de Bonis Operibus articulum (de quo & inter socios Augustanae Confessionis nostræ aetate non uno modo fuit controversum, quas controversias Symbolicus Ecclesiarum nostrarum liber Formula Concordiæ Articulo quarto decidit) & Calvinus Beza & alii paucis, ut adhuc consuevimus, Theorematis propositis cum Deo sumus explicaturi.

### THEOREMA PRIMUM.

Studium Bonorum operum per doctrinam de gratuita coram Deo justificatione non aboletur, prohibetur, tollitur, sed stabilitur.

Ex Jerem.

1. Est istud Theorema Pontificiorum mendacis oppositum, qui id in nobis præter meritum maximo opere cavillantur, quod nostra hac doctrina

A

doctrina, quã nos gratis sola fide sine lege citra omnem operum nostrorum respectum justificari confitemur, bipatentes fenestras ad omnem nequitiam vitæ, indecentis licentiam patefaciamus. Sed communè injuria & calumnia sortem Orihodoxi à Monachis hodie experiuntur, quam olim Apostoli gratuitam fidei justitiam ex Evangelio profitentes, sunt perpeſsi à falsis fratribus & hypocritis, qui vulgo doctrinam gratiæ invisam & infamem reddere sat agebant, eamq; ad laxè vivendum paratissimam esse viam traducebant. Sic mutatis personis eadem nunc agitur fabula.

2. Itaq; ut olim, ita nunc maximè muniendi sunt animi adversus ejusmodi blasphemias & mendaces voces, quæ in Evangelij doctrinã projiciuntur: & quidem quàm falsò vivendi licentiam ex fidei justitiã assertã adversarij causentur, Apostolus Rom. 6. prolixè & præclare differit.
3. Immo qui à gratuita remissione peccatorum nobis per fidem Christi factã ad sceleratam peccandi licentiam ratiocinantur, hi cum ratione insanire atque idem dicere videntur: Est vita donata furi, ne suspendatur. Ergo strenuè furandi concessa eidem libertas.
4. Et tantum abest ut peccandi potestas & facultas ex Fidei justitiã consequatur, ut ex fide potius quam ex lege uberiorem exercende pietatis materiem Apostolus sub evidenti connubij similitudine ostendat Rom. 7. 6.
5. Præterea Salvator adulteram gratis sub hac annexã exhortatione, ne posthac peccaret, absolvens Joh. 8. 11. facto ipso edocet, nobis per Christum in gratiam receptis & peccatis remissis dandam esse operam, ne enormibus flagitiis nos contaminemus, sed caste & piè semper vivamus & Deo hanc gratitudinem vicissim præstemus.
6. Quin & hinc errori, ac si, quia omnia per fidem conficiantur, nihil esset faciendũ, vel liberè, ut velis, vivendum; iterum Salvator noster contradicit simili de servo strenuè per rotam diem & mul-

tam noctem laborante Luc. 17. 7. Cavillum igitur Pontificiorum simplici Apostoli responso retundimus, regem seu studium bonorum operum per doctrinam Fidei non destrui, sed potius stabiliri Rom. 3. 31. unaque operâ præmeditaram hanc vocem apponimus; Nihil omnino tam præclare unquam de Bonorum operum necessitate à Romanensibus dici posse aut potuisse, quod non libenter amplectamur, excepto unico merito & justitia argumento à Scriptura sententiâ alienissimo.

THEOREMA SECVNDVM.

Sed Bona opera justificationis necessario sequuntur sive concomitantur.

1. Bellarminus de suis Catholicis in flagranti crimine furti, homicidii, adulterii &c. versantibus non veretur pronunciare, quod in tenebris non ambulans: forsân juxta illud 1. Joh 2. Qui odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat: prætera adiiicit, adulteros, fures, homicidas, retinere & habere Fidem, ex qua & ad Deum clamare possint. Ne portentosa hac fides nobis videatur, cum qua actionum turpidudo optimè se possit consistere.
2. Nos contra piè esse veramus, ut necessaria juxta ac indissolubilis est causæ & effectus copulatio, sic fidem nexu adamantino cum Operibus Bonis esse connexam. Quapropter istud absurditatis Jesuitica portentum in jure pontificio verbis Augustini justè damnatur: Si charitas à Christianorum fide sejungî nequit, cui soli venia promittitur, quomodo qui caritatem non habuerit, fidem Christianorum habuit, hoc est, in Christum credidit? decret. de pœnit. dist. 2. charitas est aqua.
3. Natura quidem ordine renovationem præcedit justificatio, ut utrumq; DEI donum tempore simul sit, haut secus ac lichnus prius accenditur, quàm fulgorem præbeat, rectè tamen dicimus lichnum simul & accendi & fulgere. Quemadmodum mala arbor malos producit fructus: sic arbor bona non potest non



bons ferre fructus, afferente Christo Matth 7. 17. & 12. 33. Sunt  
verò justitiæ fructus Opera Bona.

3. Quid quod vera Fides respectu renovationis in nobis per Spiritum S. inchoata perhibeatur esse ἐνεργητικὴ καὶ ἀζάνης, hoc est, negociosissima per caritatem Gal. 5. 6. Si & divi Jacobi dictis fides est; is bifariam in nobis fidem considerari innuit: aut quatenus ὄντως & vera fides est: aut quatenus νεκρὸν καὶ φανερὸν intelligitur; hanc prædicant & præ se ferunt non nisi hypocritæ, externam vitæ sanctimoniam lepide simulantes. Estque eadem in semetipsa seu καθ' ἑαυτὴν mortua, quandoquidem opera non habeat: illa verò necessario sibi habet adjuncta opera Jacobi 2.
4. Quin qui suorum curâ non afficitur adeoque nec probis & honestis actionibus studet, eum omni infideli deteriorem atque in fide defecisse Apostolus indicat 1. Timot. 5. 8. unde & Augustinus de Fide & Bonis operibus C. 23. Inseparabilis, ait, est bona vita à fide, quæ per dilectionem operatur: immo vero ea ipsa est bona vita. Origenes Hom. 9. in Eze. Male credit, quicumque peccat. Et in Epist. ad Rom. lib. 8. c. 10. omnis, qui credit in Christum, non erubescit, erubescit autem omnis qui peccat. Ergo qui adhuc peccati ruborem incurrit, credere non videtur.
5. Ex quibus omnibus nostrum theorema abunde satis explicatum videtur, Fidem se justificantem non modo cum peccatis regnantibus & conscientiam vastantibus stare non posse, sed etiam cum Bonis operibus maxime esse conjunctissimam.

### III.

Atque ideo Opera justificarum diversimodè sunt Necessaria & Libera seu Spontanea.

1. In eandem sententiam D. Lutherus Tom 1. pag. 193. Fatemur, inquit, Bona opera Fidem sequi debere, imò non debere, sed sponte sequi, sicut arbor bona non debet fructus bonos facere, sed sponte facit
2. Dico

2. Dico autem spontanea esse opera justificatorum, quippe quae renati, non coacti, non invitati, sed animo lubenti & prompto exe-  
quuntur, seu, ut scriptura loquitur, Renati legi Dei secundum no-  
vum interiorem hominem condelectantur Rom. 7. 22. Et tan-  
quam populus Dei spontaneus Psal. 110. 3. non coactè sed volun-  
tariè hostias laudis Deo sacrificant. Psal. 54. 8. 1. Pet. 5. 2. ad  
Philemon v. 14. Neq; ex tristitia aut necessitate, sed prompta vo-  
luntate pro ut unusquisq; in corde suo destinavit, caritatis officia  
proximo exhibent 2. Cor. 8. 12. & 9. 7.
3. Hinc illud est, quòd Propheta Regius supplex Deum precatur, se  
spontaneo spiritu confirmari Psal. 51. 14. & Apostolus renatos non  
servitutis spiritu amplius, sed libertatis duci atq; agi pronunciat  
Rom. 8. 15. Nec bona dici merentur opera nisi ex voluntate  
liberè & spontaneà proficiantur, uti Augustinus de Libero Ar-  
bitrio probat.
4. Sciendum verò, justificatorum illud in bonorum operum exercitiis  
ἐκείνων, seu, ut ita loquar, spontaneitatem istam esse ἐπιμόδιον ac mo-  
dis omnibus retardari detineri, & irretiri propter Diaboli insi-  
dias, mundi blanditias, & propria carnis illecebras, quibus cum  
homini novo est certandum, Carò enim adversus Spiritum con-  
cupiscit. Gal. 5. 17. & principes hujus mundi indefesse nobiscum  
colluctantur Eph. 6. 12. ut etiam sancti quandoq; in pietatis cursu  
deiciantur 1. Cor. 9. v. 24. 26.
5. Necessaria vero dicimus esse opera justificatorum, non quidem ne-  
cessitate coactionis, ac sirenati seu justificati externà vi quadam  
ad piè & justè vivendum ducantur, seu fur ad patibulum rapi-  
tur. Liberè enim Spiritus S. ductui obsequuntur & peccatum  
aversantur. 1. Ioh. 3. 9. sed attenditur hic Mandati, Consequen-  
tia Effectus, & Debiti ( ut Theologi loquuntur ) necessitas.
6. Mandati quidem; quoniam Deus vita sanctitatem in nobis passim  
siagitat & jubet nos esse Sanctos, ut & ipse Sanctus Levit 11. 44.  
jubet benefacere, quarere judicium &c. Esaia. 1. 17. lucem no-  
stram

- fram coram hominibus lucere Matth. 5. 16. in praeceptis suis ambulare & judicia sua custodire Ezech. 20. 19. & vocat nos non in immundiciem, sed in sanctificationem 1. Thes. 4. 7.
7. Consequentia deinde; ut enim fructus boni arborem bonam necessario arguunt: sic renati quos iusticia arbores ac Dei plantationem Propheta appellat Esa. 61. 3 fructus iusticiae necessario proferrunt. Atque ideo ex potestate inimicorum nostrorum in libertatem sumus asserti seu vindicati, ut in sanctitate & iusticia Deo aeternum serviremus Luc. 1. 75.
8. Effectus vero; siquidem inobedientes & Bona opera negligentes, suos manent mina & poena gravissima; de quibus Iehova inquit Psal. 89. 32. Si in meis iudiciis non ambulaverint, visitabo in virga iniquitates eorum. Et Apostolus negat eos, qui opera carnis agunt, regnum Dei ire possessum Gal. 5. 21. Pietas contra utilis est ad omnia, promissionem habens vitae quae nunc est & futurae. 1. Timot. 4. 8.
9. Debiti denique; sumus enim constituti iusticiae servi Rom. 6. 18. facti sumus & debitorum, ne posthac secundum carnem vivamus Rom. 8. 12. & debemus alter alterius lavare pedes Ioh. 13. 14 hoc est, ut Apostolus Iohannes interpretatur, 1. Canonica 4. 11. debemus nos alij alios diligere. Ergo debitum illud exolvamus necesse est. Quodque si persolutum fuerit, adhuc tamen servi sumus inutiles, idque modo fecimus, quod debuimus. Luc. 17. 12. Inde adeo Synodus Ierosolymitana decernit opera Christianis necessaria imponi Act. 15. 28. nosque, Necessitati esse subiectos Apostolus significat Rom. 13. 5.
10. Sed & Bonorum Operum necessitatem nobis commendant amplius eorum fines, propter quos necesse est istis operam dare. Facienda enim isthaec sunt. 1. Propter Deum, ut divinae ipsius voluntati in decalogo expresse obsecundemus, qui enim dicit se nosse Deum & eius mandatum non servat, mendax est 1. Io. 2. 4. Utque, Deo nostram gratitudinem, quoad possimus, cogitatis, dictis, factis declaremus, omnem

omnino

omnino impietatem & secularia desideria abnegantes. Titum 2.  
 12. Sicquè Deus ab aliis in nostram conversationem politicam ani-  
 madvertentibus glorificetur. Matth. 5. 16. II. Propter Pro-  
 ximum, ne is malis nostris operibus scandalizetur Matth. 18. 6.  
 & offendatur. 1. Cor. 10. 32. sed ut plures regno Christi lucrifa-  
 ciamus 1. Cor. 9. 19. 1. Pet. 3. 1. ut & nostro exemplo etiam per-  
 versos & pravos ad pietatem incitemus. Philip. 2. 15. Quem-  
 admodum Apostolus Tito imponit, ut sese bonorum operum exem-  
 plar omnibus præbeat Tit. 2. 7. III. propter Nosmetipsos,  
 ut fidem nostram, eam non esse fucatam, simulatam, ac mortuam  
 publico hoc quasi operum nostrorum dicumento probemus. 1. Pet.  
 1. 8. 10. Est enim Fides sine operibus in semetipsa mortua Iacob.  
 2. 26. utq; mortis pœnas evitemus Rom. 8. 13. Gal. 5. 21. &  
 vita præmia consequamur Matth. 25. 35. 1. Timot. 4. 8.

10. Quomodo itaq; Bona opera & sint necessaria, sint eadem & non ne-  
 cessaria usq; explicuimus: nec longe à nostra explicatione distat  
 Lutheri sententia Tom. 2. pag. 519. Opera Liberè & Gratis  
 facienda ad usum & commodum proximi, verum tum non am-  
 pliùs sunt opera legis, sed Christi in nobis per fidem operantis &  
 viventis per omnia, idcirco non possunt magis omitti, quàm ipsa  
 Fides; non sunt minus necessaria, quàm ipsa Fides.

#### IV. THEOREMA.

Necessaria autem non sunt ad salutem.

1. Necessaria esse opera bona, & quo sensu sint necessaria ex scripturis  
 àxiomaticis abunde explicavimus, & affirmativè demonstravi-  
 mus; ut vero ad salutem dicamus necessaria, isthac phrasis Spi-  
 ritus Sancti neq; lingua neq; doctrina est conformis. Non lingua  
 convenit. Eo enim loquendi modo pseudo Apostoli Ecclesiam pri-  
 mitivam N. T. perturbantes olim utebantur, dicentes: Nisi ser-  
 vetis legem, non potestis salvari Actor 15. 1. Cui quidem de pos-  
 sibili enunciationi equipollet hac nostro seculo à Majoristis novè  
 excogi-

excogitata & usurpata de necessario: Necessaria est legis observantia ad salutem: ne dicam quod eadem loquendi ratio solum Apostoli quodammodo corrigere velle videatur, dum is dicit inquit Eph. 2. 8. Gratia salvati estis per Fidem idque non ex nobis: Dei donum est: non ex operibus, ne quis gloriatur. A phrasa igitur ista, quae non sanorum verborum ~~compositio~~ consonat, fuerit abstinentum.

3. Sed nec ipsimet doctrina Apostolica consentit. Legis enim & Evangelij discrimen non modo obscuratur, sed & planè tollitur, siquidem ex Evangelio Rom. 16. aequè ac ex lege Rom. 13. Luc: 10, 28. est iusticia, vita, salus. Verùm ut isthaec bona nobis ex lege contingant, necessariò requiruntur, nostra opera sed perfectissima. Sed & Evangelion eadem omnino beneficia nobis credentibus citra omnem nostrorum operum respectum Gratis propter Christi meritum promittit, Rom. 4. 5. Galat. 3, 22.
3. Et si quis quaereret, an ullus mortalium esset sine operibus salvatus, huic Chrysostomus negativè respondet, Hom. de fide tom. 3. Fidelem absq; operibus monstrare possum, nempe latronem, nullus sine fide vitam habuit: opera non poterant salvare. Contrarium itaq; verum est. Nemo operibus est salvatus, seu non necessaria sunt ad salutem bona opera.
4. Quod autem alij hanc loquendi formulam & propositionem: Opera sunt necessaria ad salutem: nonnihil suis blandis interpretationibus emollire conantur, nihil agunt. Non enim opera iustorum faciunt (ut alij volunt) ad salutem conservandam. Etenim Apostolus accessum ad gratiam, progressum seu perseverantiam in gratia, & finem seu gloriationem de spe insecutura gloria, in solidum Fidei, non operibus, adscribit Rom. 5. 2. per Fidem habemus accessum ad gratiam istam, in qua stamus & gloriamur sub spe gloriae Dei. Sic & Petrus 1. Epist. 1. 5. virtute Dei custodimur per fidem ad salutem.
5. Præterea tota salus nostra suis quasi annulis in catenam quadam ab  
Apostolo

Apostolo contextitur Rom. 8. à singulis vero annulis, qui sunt, præsci-  
entia, prædestinatio, vocatio, justificatio, glorificatio, opera no-  
stra remouentur, ut alibi demonstrari solet.

6. Nec sunt opera bona ad salutem necessaria, tanquam (ut alij malunt) pars salutis. Salus enim nostra non ex parte operibus, ex parte gra-  
tia tribui potest. Sunt enim gratia & opera Apostolo contraria, qua  
se mutuo tollunt. Si enim, inquit Rom. 11. 6. per gratiam, non iam  
ex operibus, alioquin gratia iam non esset gratia.
7. Nec sunt necessaria ad salutem, ut medium aliquod sine quo non,  
salutis. In solidum enim & inuicem Fides apprehendit Chri-  
stum, & in eo salutem ac vitam æternam.
8. Et, si Christus est  $\alpha$  &  $\omega$ , hoc est, principium, medium, & finis no-  
stra salutis, ut is uerissime audit  $\alpha\epsilon\chi\eta\tau\omicron\varsigma$   $\eta$   $\tau\epsilon\lambda\epsilon\upsilon\tau\omicron\varsigma$  dux & con-  
summator fidei: Christus uero, si non apprehendatur, nihil omnino  
nobis profit, ac fides quidē sola & unica in se habeat apprehenden-  
di facultatem; ex eo, indubitato consequitur salutē nobis in Chri-  
sto partam, non applicari, nec contingere nisi Solā Fide, non  
operibus.
9. Multo minus Iesuitarum glossa erit toleranda, qui Opera Bona con-  
stituunt necessaria ad salutem promouendam: seu qui opera ajunt  
concurrere ad salutem efficienter, esse uitæ æternæ meritoria, sa-  
lutem ipsam efficere, esse mercaturam regni cælestis.
10. Vix autem mihi (Origenis ad Rom. lib. 4. c. 4. uerba allego)  
persuadeo, quod ullum esse possit opus, quod ex debito ei remu-  
nerationem deposcat; cum etiam hoc ipsum quod agere aliquid  
possumus, uel proloqui, ipsius dono & largitione faciamus.
11. Præterea attenduntur opera tua (inquit Augustinus in Psal. 31.)  
& inueniuntur omnia mala. si, quod debetur illis operibus, Deus  
redderet, utiq; damnaret. Stipendium peccati Mors. malis  
operibus quid debetur, nisi damnatio? Tum autem in malis ope-  
ribus inuentus es: si reddatur tibi, quod debetur, puniendus es.

B

quid

quid ergo sit? non Deus tibi reddit debitam pœnam, sed donat in-  
debitam gratiam.

12. Porro iusta sit inter meritum meritiq; aũldocœv proportio & ana-  
logia necesse est. Ea autem inter nostra opera & salutem æternam  
nulla cogitari ve esse pteest. Rom. 18. 18. 2. Cor 4. 17.
13. Cæterum quid mercedis loco sibi salutem æternam dari expetunt,  
mercari cum Deo videntur, ac si salus esset nostris operibus ven-  
dibilis exposita. Istam vero mercaturam Deus summè improbat,  
& jubet eos emere absq; argento & absq; ulla commutatione  
Esa. 55. 1. & vocat nos gratuito ad nuptias & convivium sui fi-  
lij, indicans omnia jam esse parata; nostrum modo esse comparere &  
ad nuptias venire.
14. Deniq; omnia nostra gloriatio de salute est tantum in Deo Ier. 9.  
24. 1. Cor. 1. 39. & nulla gloriandi materia conceditur nostris  
operibus. Quod si verò vel quidquam bonis actionibus apud  
Deum promereremus, aliqua adhuc nobis de operum nostrorum  
prestantia gloriatio esset.
15. Proinde concludimus, nostra opera nullo modo esse causam efficien-  
tem, apprehensivam, retentivam, aut sine qua non salutis æ-  
ternæ.

## V.

Deus tamen Opera iustorum & in hac, & in al-  
tera vitâ remunerare vult.

1. Aliud est ipsa æterna vita, aliud est gloria in illa vita: illa non  
datur operibus; sed est donum Dei, Rom. 6, 23. hac promittitur  
operantibus & certantibus, Matth. 5, 12. 2. Timoth. 4, 8. Sicut  
enim omnes reprobis equaliter quidem sunt adjudicandi æternæ  
pœnæ: interim tamen sensus istius æternæ pœnæ pro inæquali-  
tate operum malorum erit inæqualis. Matth. 11, 22. Sic omnes  
quidem electi eadem vitâ æternâ fruuntur, interim in illa ipsa  
vitâ differentes gloria gradus futuros credimus. 1. Cor. 15, 24.  
Illa

*Illam non contingit nisi ex sola Dei misericordia; hi pro disparitate laborantium in Domini vinea, Daniel. 12, 3.*

2. *Spiritus S. multis in locis asseverat mercedem nostris operibus contingere, Matth. 5, 10. & 20, 8. Merces autem illa non est debita propter laborem nostrum prestitum (quippe quem iam ante Deo debemus, nec ulla sit laboris nostri finiti scilicet cum mercede infinita scilicet analogia, Genes. 32. 10. Rom 8. 18.) sed indebita seu gratuita, quia dicitur relate ad gratuitam Dei promissionem: at laborantibus, non otiosis, nec merentibus promissa. Eam verò ob causam scriptura Mercedis voce utitur, quoniam Deus gratuita sua promissione, qua se opera nostra bona remuneraturum esse, gratis promisit, se nostrum faciat debitorem. Vnde & iusta remuneratio in scripturis nominatur, 1. Thess. 1, 6. Luc. 10, 26. 1. Timoth. 4, 8. hoc sensu Deus ipse nimis magnam mercedem Abrahami nuncupat.*

## VI.

*Et ob id nec perniciofa sunt seu noxia ad salutem.*

1. *Si enunciatum hoc, opera bona sunt perniciofa ad salutem, absolute & nude sine explicatione usurpatur, admitti non potest: Sin respectivè addita subiecti explicatione, qua est, si nimirum operibus accedat fiducia iustitia, proferatur, verè & rectè cum Apostolo fatemur, opera etià sanctissima & optima, qua humana sapientia maximè placeant, extra Christum esse non modo ad salutem perniciofa, sed & nociva ac detrimentum. Philip. 3, 8. Quoniam verò hocce Ambrosianorum, doctentium opera esse noxia ad salutem, dogma videtur esse sophisticum, partim quòd absurdus vulgi opinionibus viam sternat: partim quòd male ipsis per se operibus imputetur, quòd eis duntaxat per Accidens accidit, dum sc. quis ipsis operibus assuit fiduciam opinionem, qua in salutis negotio est exitialis: ob id meritò in Ecclesia damnatur & rejicitur.*



## VII.

### Bona verò Opera à Spiritu sancto excitantur.

1. *Ex Fide quidem, tanquam ex radice opera justicatorum promanant, quandoquidem fieri non potest, ut absq; hac ullum opus esse ac dici bonum spiritualiter queat. Quicquid enim ex Fide non est, peccatum est, Rom. 14. 24. & quia solà Fide corda nostra purificantur, Actor. 15. atq; sumus sine Fide tanquam vasa immunditia, & tanquam arbores putrida & arbores male. Iccirco Salvator rectè inquit, Arbor putris non potest bonos fructus ferre, Matth. 7. 18. Eadem verò à Spiritu sancto tanquam à principe & prima causa proficiuntur: Vnde & Fructus Spiritus ab Apostolo insigniuntur, Galat. 5. 22.*
2. *Accedit quod tum Apostolus opera bona, in quibus renati ambulent, à Deo esse preparata dicat, Eph. 1. 10. tum sancti confiteantur ea, quæ ab ipsis sunt facta opera, Deum in illis operatum fuisse Esa. 26. 12. ne dicam, quod omnis bonus justicatorum motus seu agitatio sit principaliter à Spiritu S. à quo omnes filij Dei aguntur Rom. 8. 14. Vtq; palmites vitis non ex semetipsis sed ex vi & natura vitis, cui sunt insiti fructum ferunt: sic etiam bona opera non ex nobismetipsis, sed vi & virtute Spiritus S. in nobis habitantis, facimus. Ioh. 15.*
3. *In ejusmodi verò operibus bonis excitandis ac efficiendis, Spiritus S. utitur hominis jam justificati mente & voluntate illuminata, non ut subjecto merè nudum, sed ut organo cooperante, non ex suis naturalibus viribus, sed ex collata facultate & gratia Spiritus S. justificatum agentis, Rom. 18. 14. subsequentis, Philip. 3. 12. & sustentantis Psal. 145. 14.*

## VIII.

Et ista demum verè bona sunt, non quæ nobis saltem bona, atque in Dei gloriam, in  
proximi

proximi utilitatem & vitæ ornamentum  
cedere videntur: seu quæ bona duntaxat  
intentione à nobis suscipiuntur, sed quæ  
ab ipso Deo sunt mandata.

1. *Veritatem Theorematis propositi arguunt. I. Quia præcepta Dei & præcepta hominū contrariè inter se opponuntur, & non in his, sed in illis Deus nos ambulare jubet Ezec. 20. 18. Num 15. 39. II. Quia species constituitur idololatria nolle scilicet in præceptis Dei acquiescere: sed bona opera, etiamsi in speciem optimè videantur, Dei præceptis præferre, aut aquare 1. Samuel. 15. 23. III. Quia Deus in Jerodogonocia, propriè electitium cultum severè improbat, Deut. 4. 2. & 12. 32. Coloss. 2. 21. 23. Matth. 15. 9. IV. Quia Apostolus nostra opera bona Deo placentia vult conformari juxta Dei voluntatem in lege expressam. Rom. 12. 2. Eph. 5. 1. Thess. 4. 3. V. Quia Deus ipse opera bona præparavit, in quibus necessariò est ambulandum Eph. 2. 12. VI. Quia quod Deus non plantavit, id eradicabitur, Matth. 15. 23.*
2. *Heroica verò opera, etsi non erant expresso Dei verbo mandata: facta tamè sunt singulari & tacito Spritus S. impulsu, quæ ipsa non ad historicam imitationem, sed ad reverendam admirationem proponuntur.*

## IX

Suntque Species singulæ in Decalogo mandatæ seu comprehensæ.

1. *Et quæ sint bonorum species operum, & in lege ne, an in Evangelio bona opera præcipiantur, distinctè quaritur.*
2. *Quod ad prius quasitum, distinguunt Scholastici opera, in moraliter bona, quæ sint ad gratiam consequendam preparatoria; in meritorie bona, quibus æternam vitam mereamur; & in supererogationis opera, quæ vivis aut defunctis profint.*
3. *Nostri Theologi rectius inter Philosophica, Politica, & Theologica*

opera discernunt. Philosophica se indigitantes, quæ ad naturæ legem optimè congruunt. Politica, quæ cum lege cuiusque civitatis seu politia consentiunt. Theologica deniq, quæ cum Decalogo conveniunt. Atq, hæc posterioris generis opera non malè parti-ri tripliciter possumus: respectu objectorum, videlicet. Nostri Proximi, & Dei. Ad quam partitionem Apostolus alludere non ob-scure videtur, cum Tit. 2. Christianos hortatur, ut mode-ste ( cum nobis ipsis ) iuste ( cum proximo ) Pie ( cum DEO ) vivamus.

4. Quod ad posterius; Decalogum confitemur esse propriam sedem doctrina de bonis operibus, non Evangelion. primò enim Contra-riorum eadem disciplina. vitium seu peccatum non nisi per legem cognoscitur Rom. 7. 7. Ergo virtutes seu bona opera ex eadem lege.
5. Deinde in operibus bonis semper est respiciendam ad Dei volunta-rem, ut ex Theoremate 8. patet. dum verò Apostolus docere annititur, quomodo voluntas Dei circa opera nostra sit probanda. Rom. 10. 2. recitat verba Decalogi Rom. 13. 8. 9. sic Christus de operibus disse-rens nos ad Decalogum remittit Matth. 19. 18.
6. Deniq, Caritas est præcipuum Christianorum opus Matth. 22. 37. Timot. 1. 5. Ea verò est & legis impletio Gal. 5. 14. Rom. 13. 10.

## X.

Sunt verò & Opera renatorum per se imperfecta, reputantur tamen à Deo ceu perfecta per im-putationem perfectæ Christi justitiæ, sive propter Christum fide apprehensum.

1. Sancti quàm minimè suis operibus summum illud ac perfectissi-mum legis *ἀρετὴν* assequantur, potius cum sanctissimo Apostolo Rom. 7. deploremus, quàm uberius explicemus. Quàm David tribunal Dei refugit, ne peccatorum reus peragatur, inquitus: Domine, ne intres in iudicium cum servo tuo, quia non iustifi-a-bitur

bitur in conspectu tuo omnis vivens, Psalm. 143, 2. Quam  
ejulatur Esaias, quod labiis sit pollutus, qui ne verbo quidem rite  
sanctificaverit gloriam Dei, neq; adhuc aptus sit ad sanctificandum  
eam, Esa. 6, 5. Ingenuè etiam Apostolorum facile princeps Pau-  
lus suam imperfectionem profitetur Philip. 3. 12. Quid multis?  
omnis quem Deus benignitate sua prosequitur, pro gratuita asse-  
quenda peccatorum remissione Deum orat. Nec mirum: sunt eni-  
nim in sanctissimis quibusq; peccatorum reliquia. 1. Iohan. 1. 9.  
posito verò peccato vel minimo, perfectio, qualem lex flagitat,  
tollitur, eò quod peccatum sit exorbitatio à lege 1. Iohan. 3. 4 Et  
qui totam legem servaverit, offendant vel in uno precepto, factus  
est omnium reus, ut est Axioma Apostoli Iac. 2. 20.

2. Sciscitanti verò, placeant ne piorum opera Deo? Affirmativè cum  
Megalandro Luthero tom. 4. Latin. p. 403. respondemus: Opera  
nostra Deo placent, non propter meritum aut dignitatem aliquam  
nostram (sunt enim omnia polluta) sed propter donum Fidei,  
quod credimus in Christum. Si sic; fides operantis, non operis spe-  
cies fuerit in operibus consideranda. Vt enim in igni alia vis est  
urendi, alia lucendi; nec tamen utraq; sese aequè latè profert: sic  
iustificantis fidei  $\epsilon\iota\epsilon\eta\sigma\alpha$ , alia est Christum apprehendendi, atq;  
hominem justum faciendi: alia caritatem proximo præstandi,  
justumq; hominem declarandi: sicq; sua semper habet exercitia  
Fides, tum in conversione seu justificatione, tum in sanctificatio-  
ne seu renovatione: adeoq; duplicem impetrat acceptationem,  
unam persone, alteram operum.
3. Ex hac distinctà Fidei conditione ac consideratione, oritur & probè  
intelligitur isthac Theologorum regula: Placente Personâ, placet  
opus: displicente persona, displicet & opus. Huc quoq; Aphorismi  
Apostoli quadrant ac referrî debent. Rom. 14, 24. Omne quod non  
est ex fide, peccatum est, Hebr. 11, 6. Impossibile est absq; Fide  
Deo placere.
4. In hanc sententiam Augustinus lib. 3. ad Bonifacium c. 10. Sine  
Fide

Fide etiam qua videntur bona opera, in peccatum vertuntur. Et Serm. 4. in ascens. Dom. Quicquid sine Fide praesumitur, nulla est animi solida virtus, sed vitiosa quadam inflatio & tumor inanis. Et in Psalm. 69. Vt, inquit, bona opera sequantur, praecedat Fides, nec ulla sunt bona opera, nisi qua sequuntur precedente Fide: & in Psalm. 31. Debemus nulla opera Fidei proponere, Ea enim ipsa opera, qua dicuntur hominibus laudabilia, inania sunt, ubi Fides non erat. Gregorius in Ezechiel Homi. 9. Fides est vestibulum, ut per illam ad bona opera perveniat, non autem ab operibus ad fidem.

5. Caeterum quod nostra opera per Fidem Deo placere asserimus, id non absolute, sed ut semper & alibi, ita nunc, & hic quoque, correlativè intelligendum est, de fide nimirum in Christum. In ipso enim sumus consummati Coloss. 1. v. 28. Hebr. 5. v. 9. & per ipsum Deo hostias acceptabiles offerimus 1. Pet. 2. v. 5. & in ipsum fide vivimus Gal. 2. v. 20.

## XI

Homo igitur non renatus aliquod verè bonum opus, Deoque placens præstare non potest.

1. Non solum actiones, qua suâ naturâ & per se sunt vitiosa, in crimen veniunt, & inter carnis opera reputantur: quod ipsum & ratio non renata probe cognoscit. Verum etiam opera ista, qua à personâ Deo non reconciliatâ patrantur, etsi videantur nobis vel præstantissima, Spiritus Sanctus peccati arguit.
2. Etenim Decalogus est Regula & canon benè agendi, & peccata cognoscendi. Præcepta verò Decalogi semper includunt & determinant actionem actionisq; modum, adcoq; omnem actionem quasi modificant: quandoquidem actio omnino esse non potest, si non cum certo & determinato agendi modo fiat: actio igitur, cujus modus non congruit ad normam legis divinae, est Deo abominatio.

Vnde


3. Unde verè ab Augustino dictum: Non sufficit, ut bonum fiat, sed etiam ut bene fiat. Inde axioma illud Theologicum: Bona Opera non ex Nominibus; sed ex Adverbiis sunt iudicanda, id est, Quando quis bonū opus facit & non bene facit, tūm non est bonum opus.
4. Ceterum modus, qui actiones nostras, ut legi divina sint congruentes, informat, duplex nobis in scripturis monstratur: alter est actioni proprius ex Lege; alter actioni imputatus ex Evangelio. Ex Lege, ut nimirū opera sint, perfectissima, summumq; illud an̄c̄v̄ esse quantur; ex Evangelio, ut quod nostris operibus est impossibile, Christi obedientiā perfectissimā tegatur, & quasi perficiatur. Sunt verò opera Ethnicorum neq; in se perfecta, neq; ex fide, quā Ethnici desituuntur, fiunt. Ergo Ethnicorum opera Deo displicent, sintq; peccata necesse est.
5. Præterea homo non renatus aut opera carnis facit, aut edit fructus spiritus. Fructus Sp. esse non possunt, quia non renatus facit, cum sit totus caro. Opera autem carnis omnia sunt peccata & qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Quare licet Ethnici speciosa quedam opera agnant, quæ moraliter sunt bona & coram hominibus laudabilia: apud Deum tamen sunt execrabilia. Exemplum nobis Salvator proponit in figo, cui maledixit, quæ licet folia habebat, carebat tamen fructibus.
6. Præterea omne opus suam speciem sortitur à fine, in quem sit; seu, ut Augustinus contra Iulian. Pelag. lib. 4. c. 3. loquitur, Bona Opera finibus metienda sunt, non officiis. Qui autem non ad veri Dei gloriam omnes suos actus referūt (uti Ethnici Deum ignorantes) peccant illi ipsi in Apostoli præceptum 1. Cor. 10. v. 31. Omne, quod facitis, in Dei gloriam facite.
7. Nec tamen ex hac assertionem (quæ omnia infidelium opera dicimus esse peccata & nihil ipsos agere posse, quin peccent, etiam cum civilia & moralia officia præstant, ut est depositum reddere, pauperibus benefacere &c.) licet contra mentem nostram fingere & inferre, ac si viam bonis operibus præcludere, malis contra mortuus licentiam facere velimus. Bisariam enim Theologi Opus considerant

fiderant, discernentes scilicet inter Operis modum, & Operis substantiam.

8. Quod ad operandi modum; omnia infidelium opera sunt peccata. quippe quæ (ut summarim argumenta complectamur) neq; ex fonte bono, hoc est, ex corde purificato proficiuntur. Mala autē arbor bonos fructus facere nequit: neq; ex fide, quā certo statuunt hæc opera Deo placere. Sine fide autem Deo placere non possumus, & omne, quod non est ex fide, peccatum est. Hebr. 11. Rom. 14. neq; ad Dei gloriam fiunt, quem aut non norunt, aut non ex toto animo diligunt, sed potius omne, propter *Φιλαυλίαν* & suum commodum agunt. neq; ex fiducia in Christum fiunt, quā scimus, quicquid vicij in nostris est operibus, illud Christi obedientiā tolli ac regi juxta Ps. 32. Beati, quorum tecta sunt peccata: neq; quicquid in eis boni est, DEO ferunt acceptum, sed ex suis viribus proficisci putant, adeoq; in seipsis, non in Deo gloriantur homines. At, o homo, quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? ait Apostolus contra gloriantes hypocritas 1. Cor. 4.
9. Atq; hæc sunt cause, quod & B. Lutherus in Gen. c. 8. doceat discernendas esse virtutes Gentilium à virtutibus Christianorū.
10. Quod ad Opus ipsum seu Operis substantiam attinet, non omnia infidelium opera dicimus esse peccata, cum scilicet ea præstant, quæ præstanda esse lex nature & lex Dei præcipiunt: imò tantum abest ut per se hæc sint peccata, ut ea etiam Deus remuneret, ut Augustinus in libris de Civitate Dei docet. Sunt enim hæc in Gentilibus Dei dona. Deus autem sua dona coronat. Unde & Lutherus Tom. 1. pag. 543. præmeditatè inquit: Iustitia hominis, utut eam Deus temporaliter donis optimis hujus vite honoret: tamè coram Deo larva est & hypocrisis impia. Et mirum problema est, quod Deus remuneret justitiam, quam ipse reputet iniquitatem & malitiam.
11. Quamobrè sicut non modo homines ab operibus politicis & ethcis non dehortamur, sed potius ad ea rectè & juxta Dei voluntatem facienda, ex fide solum & ad Dei gloriam seridè hortamur, futura alioqui Deo parum grata, eoq; peccata: ita rectè simè verbis Prosperi Aquitanici in Sent. 106. concludimus; Infidelium vitam esse peccatum, & nihil esse bonū sine summo bono. Ubi enim deest agnitio aterna & incommutabilis voluntatis, falsam virtutem esse, etiā in optimis operibus. De quibus & à nobis adhuc dictū fuit.







3. Unde verè ab Augustino dictum: Non sufficit etiam ut bene fiat. Inde axioma illud Theodosio non ex Nominibus; sed ex Adverbiis sunt, quod quis bonū opus facit & non bene facit, tūc

4. Ceterū modus, qui actiones nostras, ut legentes, informat, duplex nobis in scripturis actioni proprius ex Lege; alter actioni imperat. Ex Lege, ut nimirū opera sint, perfectissima, assequantur; ex Evangelio, ut quod nostris impossibile, Christi obedientiā perfectissimā tegatur. Sunt verò opera Ethnicorum neque fide, quā Ethnici destituuntur, fiunt. Ergo Deo displicent, sintque peccata necesse est.

5. Præterea homo non renatus aut opera carnis fructus spiritus. Fructus Sp. esse non possunt, quia non sit totus caro. Opera autem carnis omnino sine carne sunt, Deo placere non possunt. Quare quadam opera gignant, quæ moraliter sunt nobis laudabilia: apud Deum tamen sunt inoptum nobis Salvator proponit in ficu, cui melia habebat, carebat tamen fructibus.

6. Præterea omne opus suam speciem sortitur à se, ut Augustinus contra Iulian. Pelag. lib. 4. c. 1. opera finibus metienda sunt, non officiis. Qui autem gloriam omnes suos actus referūt (uti Ethnici peccant illi ipsi in Apostoli præceptum 1. Cor. 13. facitis, in Dei gloriam facite).

7. Nec tamen ex hac assertione (quæ omnia infidelis esse peccata & nihil ipsos agere posse, quin civilia & moralia officia præstant, ut est de pauperibus benefacere &c.) licet contra mentem inferre, ac si viam bonis operibus præcluderemus licentiam facere velimus. Bisariam enim

fiat, sed  
na Opera  
Quantum  
opus.  
congru-  
ter est  
angelio.  
ed angev  
impossi-  
erficiat  
neque ex  
n opera  
fructus  
t, cum  
qui in  
speciosa  
homi-  
Exem-  
cet fo-  
t; seu,  
na Ope-  
ri Dei  
antes)  
quod  
vicimus  
m cum  
e pau-  
ere &  
mori-  
is con-  
derant

